

Sicut vestra nobiscum fraternitas recognoscit, multum jam temporis elapsum (est), ex quo in Aurelianensi ecclesia negligentia et infirmitate pastoris morbus nimie dissolutionis invaluit, ita ut per culpam ejus ecclesia ipsa et bonis temporalibus diminuta sit deforis, et intus gratia et virtutibus destituta. Ipse namque, quod dolentes dicimus, vite lasciviam usque in decrepitam protrahens senectutem ita in sordibus suis computruisse proposuit, et insuper proponit, ut qui nunquam utilis extiterit vel verbo, fiat in omnibus perniciosus exemplo, nichilque de se ipso virtutis, nichil utilitatis exhibeat¹⁾, qui inveterata male vivendi licentia²⁾ totam in se videtur evacuasse gratiam et corripuisse naturam. Nos autem, cum olim ad audientiam nostram dissolutionis ejus instantia pervenisset, curavimus non nullum adhibere remedium, quo et ipsum videlicet speraremus a propria iniquitate resurgere debere, et ecclesiam quam ipse noxio suffocabat amplexu, in aliorum ad tempus manibus respirare. Factum (est) itaque sicut nostis, quod prefatus episcopus juxta mandatum quod processerat a nobis, a sua paulisper amministrazione secedens proprio juramento firmavit, quod de ministerio, ex quo ei executorum providentia decerneret mansionem³⁾, sine ipsorum licentia non exiret, nec aliquod dampnum episcopo vel ecclesie prejudicium interim consilio vel ingenio quolibet exerceret. Ipse tamen hec omnia violato sicut dicitur juramento transgressus, [atque] proprie temeritatis audacia, quod fuerat in episcopatu residuum ut dispergeret et dilapidaret invasit. Unde etiam, (quia) non sine periculo conscientie nostre nec sine gravi detrimento dissimulare possumus quod audimus, vices nostras in tantis corrigendis excessibus vestre duximus sollicitudini committendas, firmam spem fiduciamque tenentes, quod eo sitis zelo et fervore succensi, ut in (his) que proseguenda suscipitis, pro nullius gratia vel timore desides, pro nulla esse possitis personarum acceptione remissi. Quapropter volumus et precipiendo mandamus, quatinus ad jam dictam Aurelianensem ecclesiam pariter accedentes, de his que dicta sunt vigilanter investigare curetis, et si predictum episcopum fidem prestiti juramenti transgressum vel alias perniciosum noveritis esse vel noxium, eum auctoritate nostra sine ullius appellationis obstaculo a pontificatus officio deponentes⁴⁾, attenta sollicitudine provisuri, ut ecclesia illa que sub invalido capite tantum dicitur pertulisse languorem, optatam recipiat pastoris moderamine sanitatem. Si vero dissensio aliqua emergerit⁵⁾ inter eos, ut secundum communem electionem capituli vel majoris aut sanioris partis infra xxx

von Beauvais 1144—1148 Odo III, der auf Odo II. folgte, Bischof von Arras 1131—1148 Alvisus. 1) exhibebat Hs. 2) inueteratam m. v. licentiam Hs. 3) So! doch steht auch vor 'mansionem' ein Punkt. 4) Entweder für 'deponatis' oder es fehlt etwas. 5) meriserit Hs.